



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

2. Beatorum Petri &c. Canonicis Petri Romanæ quartam oblationum
partem concedit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74452)

I.
Ex Anecd.
Martene T.
V. Col. 412.
An Dom.
circiter 1150.
Ex Schedis
Colbertinis.

Mandat ad Bermundum Biterrensem antistitem,
ut Trencavello Vicecomiti Biterrensi permit-
tat Capellam suo in Palatio construere.

EUGENIUS EPISCOPUS.

*Servus Servorum Dei, venerabili Fratri
Bermundo Biterrensi Episcopo S. & A. B.*

Nobilis vir Trencavellus à Jerosolymis re-
diens, & per nos transitum faciens, à
nobis suppliciter postulavit, quatenus Capel-
lam in suo Palatio strui eo tenore concedere-
mus, ubi ipse Capellanum idoneum debeat
invenire, & tibi post-modum ut ei animarum
curam tribuas repræsentet, & in vita sua non
interdicatur à divinis Officiis, nisi fortè ipse,
vel aliquis de familia ejus culpam commiserit.
Et quoniam petitio ejus toleranda est, ut Ec-
clesiæ tuæ, propter hoc detrimentum non pos-
sit in posterum provenire, per præsentia tibi
scripta mandamus, quatenus Capellam eo te-
nore quo diximus ædificare permittas; & cum
ab eodem Trencavello invitatus fueris, ipsam
Capellam consecrare non renuas, salvâ nimirum
in aliis tuâ, & Ecclesiæ tuæ integrâ jus-
titiâ.

Datum Tusculani VI. Idus Octobris.

II.
Ex Labbe
Tom. 10.
An. Dom.
1153.

Canonicis S. Petri Romanæ quartam oblatio-
num partem concedit.

EUGENIUS EPISCOPUS.

*Servus Servorum Dei, dilectis filiis Ber-
nardo Presbytero Cardinali Sancti Cle-
mentis, & Ecclesiæ Beati Petri Archi-
presbytero, atque cæteris ejusdem Ecce-
lesiæ Canonicis, tam presentibus quam fu-
turis canonicè substituendis in perpetuum.*

Proœmium.

Bæatorum Petri & Pauli tam eminens & tam
gloriosa societas, ut & ambo sint Doctores
Gentium, auctores Martyrum, Principes Sa-
cerdotum: & cum inter universos Apostolos
peculiari quadam prærogativa præcellant, æqua-
litas in cælo meritis disparitatem non sentiunt.
Petro ab ipso Salvatore nostro Domino Jesu
Christo claves regni cælorum sunt commissæ:
Paulus à Deo electus est, ut de multitudine
gentium regnum cælorum impleat sua prædi-
catione. Petrus, petra est & fundamentum
fidei, & ne metumamus in soliditate nos firma
sustentat: Paulus ne pravo hæreticorum dog-
mate vulneremur, mortalitatis honestate &
invincibili ratione fidei nos armat. Petrus Prin-
cipatum tenens, ex potestate ligat & solvit:
Paulus diligens prædicator, ne quid reprehensibile
vel ligatione dignum in nobis appareat,
mirabili nos exhortatione præmunit. Petrus firmamentum
nostrum est ac domus fortitudinis & in fide ejus
plantati & radicati sumus: Paulus vas electionis
prædestinatus à Deo & electos cælestis tubæ
sonoritate vocavit; & pro nobis sine intermissione
orans, ne à fide & veritate deviemus, apud Deum
interveniendi nos protegit. Cum igitur ij duo
maxima Seminaria Dei Ecclesiam illustrantia, pari
& amabili splendore & fraterno amore præful-
geant: æquitatis & justitiæ persuadet ratio,
ut nos, qui licet indigni Christi vices

in tetris agimus, & in ejusdem Apostolorum
principis cathedra residere conspiciamur, domes-
ticam beati Petri familiam paterno diligamus
affectu, & pia eam provisione in suis necessi-
tibus adiuvemus.

§. 1. Hujus itaque rationis debito provo-
cati, dilecti in Domino filij, quartam par-
tem omnium oblationum, quæ de altari ejus-
dem beati Petri Apostoli, & tam de arca,
quam de omnibus Ministeriis ipsius Ecclesiæ,
præterquam de Ministerio beati Leonis prove-
niunt, vobis, ex consensu fratrum nostrorum
Episcoporum & Cardinalium, sedis Apostoli-
cæ auctoritate concedimus, & præsentis scri-
pti pagina confirmamus. Ita videlicet, ut sem-
per, cum volueritis, facultatem liberam ha-
beatis eandem oblationem in vestris manibus re-
tinendi atque custodiendi: seu aliis quibus vo-
lueritis cum nostrorum successorum consensu ven-
dendi: Salva in omnibus aliis & retenta in
nostris & successorum nostrorum manibus ip-
sius ecclesiæ libera dispositione atque custodia.

§. 2. Hoc autem ideo facere dignum dixi-
mus, ut vos die ac nocte studiosè in Dei
laudibus desudantes, tam in Missarum celebra-
tione quam in Matutinis est aliis horis, pro
vivorum ac defunctorum salute, attenta dili-
gentia & honeste decantandis, prædictam Beati
Petri Ecclesiam obsequio debito veneremini: &
Dei fideles apostolorum limina devotione debita
visitantes, locum ipsum in majori devotione
ac veneratione semper habeant.

§. 3. Decernimus ergo, ut nulli omnino
hominum fas sit hujus nostræ concessionis pa-
ginam temerario ausu infringere, seu quibus-
libet modis perturbare. Si qua igitur in fu-
turo Ecclesiastica Secularisve persona id atten-
tare præsumpserit secundo tertiove commonita,
nisi præsumptionem suam congrua satisfactione
correxerit, potestatis, honorisque dignitate careat
reamque se divino Judicio existere de perpe-
trata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo
Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redem-
ptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in
extremo examine districtæ ultioni subiaceat.

§. 4. Cunctis autem hanc nostram constitutio-
nem eidem loco Servantibus sit pax Domini
nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum
bonæ actionis percipiant & in futurum præmia
æternæ pacis inveniant. Amen, Amen, Amen.

Ego EUGENIUS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus
subscripti.

Ego Conradus Sabinensis Episcopus sub-
scripti.

Ego Ymarus Tusculanus Episcopus subscripti.

Datum Romæ apud S. Petrum per manum
Bosonis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ scriptoris,
quarto Idus Aprilis, Indictione prima, Incar-
nationis Dominicæ anno millesimo centesimo
quingagesimo tertio, pontificatus vero domini
Eugenii III. Papæ Anno nono. Locus plumbi.

ANASTASIUS IV.

PONTIFEX CLXX.

ANNO DOMINI MCLIII.

Anastasius, Conradus antea vocatus,
Civis Romanus anno 1153. Pontifex
eligitur Pauperum amantissimus. Palatium
apud S. Mariæ Rotundæ Templum magni-

Quartam
oblationum
partem quæ
de Altari, de
arca, om-
nibusque Mi-
nisteriis pro-
veniunt Can-
onicis con-
cedit & con-
firmat.

Hortatio
Pastoralis.

Pœna con-
traventium.

Pax ser-
vantibus.

Datum IV.
Idus Aprilis,
Pontificatus
Anno IX.

ficentissimum erexit: annonæ penuriæ, ne-
dum Urbem tunc temporis premente, sed
Europam penè universam etiam extra Ur-
bis mania degentibus alimenta largitus est.
Gratianus decreti compilator, Petrus Lom-
bardus, & Petrus Comestor Scholasticæ
Theologiæ antesignani ea tempestate flo-
ruerunt. Obiit Pontifex anno 1154. Pon-
tificatum tenuit anno uno mensibus qua-
tuor diebus 24. (*Magni Bullarii Romani*
Tom. I. hujus Editionis Luxemb. 1727.
Append. fol. 38.)

HADRIANUS IV.
PONTIFEX CLXXI.
ANNO DOMINI MCLIV.

ANNO
1154.

HAdrianus IV. Anastasium excepit na-
tatione Anglus anno 1154. qui sede
Pontificia concessa Romanos primo, quod
S. P. Q. jura restituerè conabantur, mox
Willelmum Sicilia Regem diris est perse-
quutus. Cum Friderico Enobarbo non
unam ob causam contendit. Tandem Ro-
mani Senatus metù Ananiam se contulit,
ibique muscâ suffocatum obiisse tradunt
anno 1159. sedis 4. Mense decimo. (*Magni*
Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis
Luxemb. 1727. Append. fol. 40.)

I.
Ex Miscell.
Balutii T.
2. pag. 224.
Edita An.
Do. 1156.

Excommunicatio Gaufridi Comitis Ruscinonen-
sis, qui legitimâ uxore dimissâ adulteram sibi
copulaverat.

HADRIANUS EPISCOPUS.

*Servus Servorum Dei, venerabilibus fratri-
bus Berengario Narbonensi Archiepiscopo
& Apostolica sedis Legato & Arnaldo He-
lenensi Episcopo, & universis Baronibus
per Helenensem Episcopatum constitutis,
salutem & Apostolicam benedictionem.*

Proœmium.

Quæ à prædecessoribus nostris rationabiliter
sunt statuta, nullius temeritate volumus
perturbari, sed inconvulsâ ea mandamus & il-
lasâ ab omnibus observari. Prædecessor autem
noster felicitis memoriæ Papa Eugenius Comi-
tem Gaufridum & eam quam tenet adulteram
excommunicationis vinculo innodavit, pro eo
videlicet quod legitima uxore dimissâ, non est
veritus adulteram sibi matrimonio copulare.

Legitimâ
etiam Comi-
tis uxore
defunctâ
nunquam ei
fit liberum
pellicem sibi
matrimonio
copulare.

§. 1. Et quia ut nobis dicitur pertinaciter
adhuc in sua iniquitate perdurat, eandem sen-
tentiam ratam habentes, mandamus eam ab
omnibus iuviolabiliter observari, statuentes ut
eidem Comiti nunquam sit liberum, legitima
etiam uxore defunctâ, tam sibi matrimonio
copulare, quam non est dubium manifesto adul-
terio polluisse.

Filios in a-
dultério
procreatos
purios per-
petuèque
paterna he-
reditate ex-

§. 2. Filios autem quos ex adultera in adul-
terio procreavit, qui spurii à jure censentur,
decernimus perpetuò paterna hereditate carere,
nec eis liceat ullo tempore aliquid hereditatis
ipsius Comitis jure successione patere vel ha-
bere. Si verò ab eis hoc fuerit aliquando atten-

tatum excommunicationis vinculo se noverint
innodandos.

clufos de-
cernit.

Bulla Hadriani Papæ quarti, Confirmationis com-
positionem inter Episcopum & Comitem Ge-
bennensem.

II.
ANNO
1157.

HADRIANUS EPISCOPUS.

*Servus Servorum Dei, venerabili Fratri,
Arducio Gebennensi Episcopo Salutem,
& Apostolicam benedictionem.*

Quotiens (1) a fratribus nostris Episcopus
talia postulantur, quæ & equitati conveni-
ant & a rationis tramite non recedant, de-
cet nos animo libenti concedere, & eorum vo-
ta oportet nos, effectu operis prosequente
compleri. Ea propter Venerabilis in Christo,
Frater Episcopo: iustis postulationibus tuis,
grato concurrentes assensu, personam tuam,
& commissam tibi Ecclesiam sub Beati Petri
& nostra protectione suscipimus, & presentis
scripti patrocinio communimus.

Arducium
eique com-
missam Ec-
clesiam sub
B. Petri ip-
siusque pro-
tectione sus-
cipit.

§. 1. Compositionem vero que inter te &
dilectum filium nostrum, nobilem virum Ame-
deum Gebennensem Comitem in presentia Ve-
nerabilium fratrum nostrorum S. Viennensis,
E. Lugdunensis & P. Tarentasiensis Archiepis-
coporum, J. Gratianopolitani, & Guillelmi Be-
licensis Episcoporum, & quorundam religio-
forum Abbatum, super quibusdam controver-
siis que inter vos agebantur, utriusque partis
assensu rationabiliter facta est, juxta tue pos-
tulationis instantiam, tibi & per te Ecclesie
tue auctoritate Apostolica confirmamus cujus vi-
delicet compositionis tenor sicut in Instrumen-
to exinde facto continetur, in subsequentibus
invenitur annexus.

Compositio-
nem inter Ep-
iscopum
Comitem-
que Geben-
nensem con-
firmat.

§. 2. Predictus si quidem Frater noster Pe-
trus Tarentasiensis Archiepiscopus, & dilecti
filii nostri Almadicus Precentor Gebennensis Ec-
clesie, & Willelmus Alberici Decanus, Lam-
bertus de Anasiaco Decanus, & Artoldus De-
canus, Gualterius Canonicus & Capellanus,
Pontius de Filingio Canonicus, Magister Pe-
trus de Tolno Canonicus, Aymo Vicedomi-
nus Gebennensis, Amedeus de Nangiaco, Pe-
trus de Nangiaco, Aymericus de Nangiaco,
Falco Turumbertus, Cono de Ruppe: a gra-
vaminibus Sacerdotum & Diaconorum tibi à
Comite illatis incipientes, quoniam tu exinde
querimoniam feceras, ita inter vos composue-
runt, ut si fundum vel terram Comitis Sacer-
dotes vel Diacones tenerent, eidem ex equo
servirent; si vero terram ejus dimittere vellent,
investituram dimitterent, & secundum quod ab
eo tenuerant, usamentum facerent, & sic
Episcopo & Ecclesie Gebennensi, in pace per
omnia remanerent.

De sacerdo-
tibus feu-
dum terram-
ve Comitis
tenentibus.

§. 3. Quia etiam Comes adversus te queri-
moniam fecerat, quod eos qui servili condi-
tione sui erant ordinaveras, super hoc ita est
definitum, ut qui ante Sacerdotes vel Dia-
cones ordinati erant, in pace tibi dimitterentur,
& deinceps servos Comitis, vel suo-
rum, nisi eorum assensu nullatenus ordinares.

De Comitis
suorumve
servis nisi
eorum assen-
su nullate-
nus ab Epif-
copo Ordin-
andum.

§. 4. De feudo quoque Decimarum con-
questus est Comes, sed quia pretendebas dis-
tinctionem per compositionem super ipsas deci-
mas à Comite tibi factam esse, ita positum

De feudo
Decimarum.

(1) Hanc Bullam cum Originali contulimus ejusque
Orthographiam intactam reddidimus.